Atque hæc de propositione, demonstrationis inquisitio non minor est, quæstio est de æqualitate interiorum angulorum unius trianguli. Euclides probat per exteriores angulos adhibitis é tertia propositione lineis decem & é quarta propositione triangulis quatuor, quæ hysterologia manifesta est, cum de unius trianguli proprietate agatur, comparationem triangulorum pro argumento demonstrationis usurpare. Pappus id vitium in Euclide de interioribus per exteriores demonstratis quodammodo animadvertit, simpliciusque uno triangulo, tanquam sibi ipsi lateribus oppositis superposito interiorum angulorum æqualitatem sine exterioribus angulis demonstravit. Verúm & Pappus ipse in hysterologiam licet minorem, attamen incidit, quia de simplici triangulo per comparationem triangulorum agit. Atque hæc de interiorum angulorum demonstratione. Exteriores iterum demõstrat Euclides per collationem triangulorum ad thesim quartę propositionis: Denique Euclidis in hac propositione demonstratio ad unius simplicis trianguli proprietatem declarandum, adhibet comparationem sex triangulorum, quæ hysterologia præcedentibus etiam major est. Verúm axioma angulorum æqualium cum thesi propositionis rem perspicué demonstrabit, quia anguli duo habebunt æqualium laterum bases æquales. Itaque trianguli æquicruri proprietas ista protinus ex axiomate assumetur: idemque de triangulo æquilatero & vario assumetur, quod omnes anguli sunt æquales, quod nulli anguli sunt æquales.

6 *Si trianguli duo anguli æquales inter se sint, & sub æquales angulos subtensa latera æqualia inter se erunt.* ἀντίστροφον est quintæ propositionis, sed multó disertius expositum quám fuit hypothesis antecedens. Hic enim de triangulo generaliter agitur, non de æquicruro, restat tamen & hic Gemini ratio, quod id commune sit etiam curvilineorum. Quomodo tamen possit ista propositio intelligi, ut sit omnino catholica & ex illa antecedente hypothesi, istaque conversa possit & debeat una propositio fieri sic. *Si trianguli duo latera sint æqualia, duo anguli erunt æquales: & si duo anguli sint æquales, duo etiam latera erunt æqualia.* Demonstratio Euclides habet hic impossibile ex quartę thesi, quia sequeretur triangulum totum suæ parti æquale esse: imó (inquam) sequeretur impossibile triplex, ut bases inæquales essent æquales, ut anguli inæquales essent æquales. Sed hysterologia est eadem superiori de proprietate unius trianguli per collationem multorum triangulorum philosophari. At impossibile multó brevius cogi potuit, ut in nostra geometria. Atque utraq; propositio & quinta & sexta sunt communes sphæricorum, ut constat é 40 & 41 p 3 apud Regiomontanum. Sed quærit præterea Proclus, cur Euclides secundã partem quintæ propositionis non convertit & ipsemet ἀντίστροφον ejus convertit. Si productis lateribus anguli sub basim sint æquales, duo latera quoq; esse æqualia, quod per quartam & sextam demonstrat, respondet id postea perspicuum fore per 13 p 1. at veró ad 13 p 1. additio illa melius esset facta, ut tum dicetur á nobis.

7 *Super eandem rectam duabus eisdem rectis alia dua recta æquales altera alteri nõ constituentur ad aliud atque ad aliud punctum, ad eandem partem terminos eosdem habentes cum primis.* Propositio ista mirificé per negationem proposita est. Propositio scientiæ propria (ait Aristoteles) non solúm affirmata debet esse, sed affirmatæ ve-